

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.  
**0994**

**0992**

**0998**

**0988**

**1003**

**0983**

**1043**

**0943**

**1093**

**0893**

**0493**

**Ende**

**Anfang**

**421**

torrentes, valles, montes et colles progrediendo versus plagam meridionalem. Interea regionem et desertum Gebelhelell arabice dictum ingressi sumus, in quo deserto altissimi montes sunt coagulati limpidissimis rupibus, et toto die illo inter medium montium transivimus. Sole autem occasum petente in desertum Magareth dictum venimus sub montanis in locum arenosum ibique tentoria fiximus et sarmenta comportavimus ad coquendum. Porro prope nos, ut apparebat, erat mons singularis rotundus altus et ad ascendendum facilis, in ejus cacumine quasi quoddam aedificium apparebat; hunc montem (**33 a**) desideravi ascendere ad videndum, quid esset in eo, et ad circumspiciendum per desertum. Grave tamen mihi erat solum ire nec spem habui de inveniendo socio inter peregrinos. Assumi tamen animum et derelicto exercitu quasi oraturus solus in campum processi et in cumulos arenarum veni, inter quos deambulans contra montem festinus ivi nullo sciente. Post horae autem spatium ad radicem montis veni, multum autem fefellit me montis aspectus, qui remotior a nostris tentoriis distabat, quam aestimabam, et multo altior et major erat, quam apparebat. His tamen non obstantibus copta perficere volui et per montis clivum praecipitem intra scopulos et per saxa asperrima ascendi et cum multo labore et sudore usque in ejus cacumen veni, ubi nihil aliud inveni, nisi magnam congeriem lapidum super se invicem positorum in altum. Steti ergo et circumspexi et nihil vidi per circuitum, nisi vastissimam solitudinem, montibus, collibus et torrentibus distortam, in qua nec bestiae nec aves nec homines habitant, tentoria autem nostra et exercitum videre non potui propter remotionem, montes autem albos et nigros vidi et totam terrae superficiem solis ardoribus adustam, nec aliquid viride vidi parvum aut magnum, sed infelici sterilitate maledictum. Cumulus autem lapidum in cacumine erat viae signum, nam ubique per desertum in acutis montibus sunt cumuli lapidum erecti, quibus monstratur, per quas valles sit ingrediendum, et nisi illa signa essent, nemo posset desertum penetrare, quia ut plurimum majores valles non perviae sunt, sed in extremitatibus clausae, et ita postquam aliquis tribus aut quatuor diebus ambulasset sequens vallis viam, tandem redire cogeretur. Sic etiam est in mari